Notum sit cunctis tam presentibus quam futuris quod ego Aldefonsus Dei gratia Rex Castelle et Toleti uidi priuilegium illud quod Rex Aldefonsus felicis memorie pater patris mei olim Toletanis ciuibus fecerat. in quo continebatur quod quicumque morarentur in Toleto ibidem uicinitatem et miliciam faciendo secundum forum Toleti. esset excusatus et absolutus ab omni alio pecto et facendera in toto regno suo. Ego itaque predictus Rex A. uolens predecessorum meorum facta rata esse et firma. una cum uxore mea Alienor Regina et cum filio meo Ferrando facio cartam libertatis et absolucionis uobis toti concilio Toletano presenti et futuro. mandans ac firmiter precipiens quod quicumque in Toleto morati fuerint. ibidemque uicinitatem et miliciam secundum forum Toleti fecerint. de hereditatibus suis quas in toto regno meo habuerint. nullam faciant postam uel facenderam. seu pectum aliquod. Et per uicinitatem et facenderam. atque miliciam Toleti. sint excusati in omnibus aliis uillis regni mei. Et hec mee donacionis. libertatis. et absolucionis pagina rata. stabilis. et inconcussa omni tempore perseueret. Siquis uero hanc cartam infringere uel diminuere presumpserit. iram Dei omnipotentis plenarie incurrat. et cum Iuda domini proditore suppliciis infernalibus subiaceat. et insuper Regie parti mille aureos in cauto persoluat. et dampnum uobis super hoc illatum. dupplicatum restituat. Facta carta apud Toletum. Era M.a CC.a XL.a vigilia natalis domini. Et ego Rex A. regnans in Toleto. hanc cartam quam fieri iussi manu propria roboro et confirmo.

Martinus Toletane sedis archiepiscopus hispaniarum primas. confirmat.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Aldericus | palentinus | episcopus conf. | Rodericus | diaz conf. |
| Didacus | oxomensis | episcopus conf. | Lupus | sancii conf. |
| Rodericus | segontinus | episcopus conf. | Gomicius | petri conf. |
| Julianus | conchensis | episcopus conf. | Aluarus | nunii conf. |
| Gundissalui | secobiensis | episcopus conf. | Guillelmus | gonzalui conf. |
| Jacobus | abulensis | episcopus conf. | Munio | sancii conf. |
| Johannes | calagurritanus | episcopus conf. | Egidius | garsie conf. |
| Ferrandus | burgensis | electus conf. | Rodericus | diaz merinus regis in castella conf. |

Petrus domini Regis notarius. Didaco garsie existente Cancellario. scripsit.